

*Fulginiū.* Haud procul inde in amœna planitie *Fulgi-*  
*nium* se offert, *Fuligno* vernacule; sexaginta supra  
*Situs.* centum stadiis Perusia distans. Tinna dividitur,  
 flumine parvo & inglorio. Conditum est hoc  
 oppidum in orbem, tribusque partibus habet  
 monasteria DDD. Augustini, Francisci, Domi-  
 nici; Templum item D. Feliciani, opus novum,  
 satisque pulchrum. Ad situm pertinet Siliū illud:  
 --- parvoque jacens sine mœnibus arvo  
 Fulginia.

*Publica o-* Quem locum enarrans Marfus, ætate quidem  
*pera.* Siliū muris eam caruisse; postea vero pulcherri-  
 mis & optimis ait cinctam. In foro palatia sunt  
 tria: In uno habitant VII-Viri *Fulginates*, ad quos  
 primum civiles deferuntur controversiæ, Ma-  
 gistratu fungentes bimestri: in altero Prætor,  
 qui graviores causas dijudicat: cujus munus  
 sex durat menses: in tertio Gubernator, cui  
 summa potestas Pontificis nomine tribuitur.  
*Episcopa-* Episcopatus fulget titulo. Illustravit plurimum  
*rus.* nomen hujus urbis *Gentilis Medicus*, scriptis,  
*Clari Viri.* quæ edita, celebris. Excisam à Perusinis anno  
*Res gesta.* CIO CCXXCI scribit Blondus lib. Hist. XVIII,  
 non sine gravissima indignatione Martini V P.  
 M. qui Perusinos anathemate percussos expia-  
 re noluit, nisi restituti urbi novis mœnibus.  
 Ab eo tempore *Fulignum* semper floruit. Cen-  
 sentur *Fulginates* eximie præ cæteris gentibus  
 tragemata ex saccharo conficere, quæ vulgo *Ful-*  
*ginata* vocant.

*Hispellum.* Quinque à Fuligno P. M. dextra situm est *Hi-*  
*spellum*: quod *Spello* vernacule. In imperio est &  
 ditione Perusinarum: ideoque anno CIO IO XXIX  
 direptum à Philiberto Arausiorum Principe,  
*Res gesta.* Karoli V Cæsaris Legato; anno autem CIO IO  
 xxxvi, Pauli III P. M. jussu, mœnibus nuda-  
 tum; eaque forma nunc jacet.

*Affisium.* Quinto ab Hispello lapide ostentat sese edi-  
 to loco A S S I S I V M, dictum ab *Afi* monte pro-  
 ximo, *Afesi* vulgo & *Sifi*. Municipium quondam  
 Romanorum, Ptolemæo & aliis memoratum.  
*Viri clari.* Patria est D. Francisci, ordinis Minoritarum  
 conditoris. In fronte oppidi templum est excel-  
 sis fornicibus conspicuum, ingentis molis, dicti  
 S. Francisci memoriæ cultuique erectū, præsen-  
 te atque annuente Gregorio IX summo Ponti-  
 fice, architecto quodam Iacobo Germano. Di-  
 vi cineres in infima æde (tres enim sunt ordine  
 ascendentes; unde quanta totius Basilicæ altitu-  
 do sit ac vastitas conijcere licet) magna venera-  
 tione coluntur. At sub medii templi ara eos ja-  
 cere hæc inscriptio indicat: *Sub isto altari requie-*  
*scit corpus B. Francisci fundatoris ordinis fratrum mino-*  
*rum, sacris stigmatibus divinitus insignitum. Hinc in-*  
*tus subter altare est una columna concava, in qua jacet*  
*ampulla crystallina, in qua ampulla est una costa B. Io-*  
*annis Baptiste, quam Dominus Papa Innocentius I V*  
*suis propriis manibus collocavit. In D. Claræ templo*  
 simulachrum Christi crucifixi monstratur, dici-  
 turque pro comperto collocutum cum D. Fran-  
 cisco fuisse. Haud procul foro ædes ostendunt,  
 in quibus natus fuerit D. Franciscus.

*Affisium* Episcopatus dignitate clarum. Vexa-  
 tum adeo civilibus legitur discordiis, ut pene in-  
 terierit. Est & hic sepulchrum Reginae Cypri; i-  
 tem IX Sociorum D. Francisci: Bibliotheca in-  
 super instructissima: domus quoque vetusta,  
 quam *Iovis Pagan. templum* fuisse memorant. Ab  
 Fuligno ulterius læva in parte *Trevi* invenitur.  
 Olim hoc opidum *Mutuscæ* dicebatur. Virgilius  
 libro VII Æneid.

*Ereti manus omnis oliviferæque Mutuscæ.*  
*Trebula* post dicta; sed hæc *Trebula* non fuit *Tre-*  
*bula*, ad quæ clades illata ab Hannibale Romanis.  
*Trebula* enim calamitatis Romanæ memoria ce-  
 lebris, fluvius est ultra Placentiam in Gallia To-  
 gata, docentibus id omnibus Historiographis:  
*Mutuscæ* autem Virgilio procul à *Trebula* sunt in  
 Vmbria, prope Sabin: quæ & *Trebula*. Martia-  
 lis *Trebulanum caseum* loquentem facit his verbis:

*Trebula nos genuit, commendat gratia duplex;*  
*Sive levi flamma, sive domamur aqua.*  
*Humidam Trebulam vocat alibi idem Poëta:*  
*Humida qua gelidas submittit Trebula valles:*  
*Et viridis Cancris mensibus alget ager.*

E regione *Trevi* Mons *Falco* est, oppidum amœ-  
 nis in collibus; novum quidem, sed incolis fre-  
 quens: quo B. *Clara*, Eremitarum ordinis virgo,  
 fertur orta.

Tum in radicibus ejus collis, viaque quon-  
 dam *Flaminia Bevania* est, *Bevagna* vulgo: *Meva-*  
*nia* Livio, Tacito, Solino, Suetonio, Antonino,  
 & aliis Latinis. *Mevania* natus est *Propertius*, ipso  
 canente lib. IIII.

*Vmbria me notis antiqua penetibus edit.*  
*Mentior? an patria tangitur ora tue?*  
*Qua nebulosa tuo inrorat Mevania Campo,*  
*Et Lacus æstivis intepet Vmber aquis,*  
*Scandentisque Axis?*

Regionis quoque nomen est, cui primaria urbs  
 cognominis *Mevania*. Territorium ejus armen-  
 torum gregumque hodie est ferax. Erumpit  
 hic è *Trebulanis* collibus *Clitumnus* fluvius lim-  
 pidissimo copiosissimoque fonte. Observarunt  
 veteres eum vicinos campos pabuli lætitia us-  
 que adeo fecundare, uti boum prægrandium  
 armenta proferant & pascant, & aquæ *Clitum-*  
*ni* potæ boves candidos reddant, Plinio, Luca-  
 no, Servio, Maronis commentatore, & aliis mul-  
 tis id ipsum testantibus. Ex his quidem armen-  
 tis, Romanis *Vmbriæ* victor eximios quosque  
 tauros candidos reservare, & ad triumphalia  
 sacrificia signare solebat, velut victimas opimas  
 & ob faultum candoris omen in victoria læ-  
 tissimas. Hos inauratis cornibus diademate &  
 vittis redimitos ducebant in Capitolium trium-  
 phantes Imperatores, & undis ex eodem amne  
 sumtis perfusos, Iovi & Diis immolabant. At-  
 que has ob causas *Clitumnus* hic pro deo cultus  
 ab *Vmbria* fuit, cui non solum ædes, sed & lucos  
 consecrasset vetustatem, ipse *Propertius* indi-  
 cat, dum ita canit:

*Qua formosa suo Clitumnus flumina luco*  
*Integit, & niveos abluir unda boves.*